

Deinde & de Dissensionibus) Non in citatione tantum Imperatoris die 21. Jan. Anni 1530. (quò respiciunt verbis hisce Protestantibus) sed etiam aliquoties in *Præfatione* hac dissensionis in Religione mentio fit. *Aliud* autem est *dissensio*: *Aliud hæresis* aut *schisma*. Dissensisse Majores nostros ab *Ecclesia Romana*, non quatenus ex *Scriptoribus* nota est, sed *quatenus tunc variis erroribus* referta erat, & nos in præsentem non minus dissentire, non negatur; *Ast hæreticos* nos esse, aut per *schisma* ab *Ecclesia Rom.* nosmet separasse, negamus. Et latè hoc ostendit B. Præceptor noster Dn. D. Heinr. Höpffnerus in *Sax. Evangel.* à pag. 10. ad 46.

Discrimen inter
dissensionem & hæresim
aut schisma.

Ad unam simplicem veritatem & Christianam Concordiam) Ita *Cæsar* proposuerat intentionem suam & Protestantibus etiam eam approbaverant, minime tamen hisce de *Syncretismo* cogitarunt, sed unice solliciti fuerunt de *abolendis abusibus doctrinae ac cultus* hactenus in *Ecclesiam* per *Papatum* introductis. Igitur etiam in §. *quod si & ceteri Electores &c.* optant & in votis habent, ut *Romana Ecclesie modernæ Status* etiam suam edant *Confessionem*, quo ex collatione *Sententiarum* ac *Confessionum* patere possit, quid acceptandum, quid item declinandum; Minimè vero in animo habuerunt, *dissentientes Confessiones* in *unam conflare doctrinam*. *Aliud* enim est *dissentientes componere* velle: *Aliud doctrinam dissentientem* componere; Non posterius, sed prius in *Comitiis Aug.* tentatum fuit, & *tractatus* inibi instituti longe alii fuerunt, quam qui post *B. Lutheri obitum Anno 1548.* in *Causa interimistica* suscepti, sicut à *Sleidano l. 20.* & *Petro Svavi lib. 3. hist. Trid. Conc. p. 328.* describuntur. Unde & ipse *Electo Saxoniae* sub initium recitationis solennis hujus *Confessionis* per *Cancellarium suum Christianum Beierum* satis explicitè mentis & animi sui recessus significavit *Protestatione*, cujus tenor hic erat: *Nisi causa fidei in Comitiis hisce diligenter ageretur, definiretur & componeretur, CORRUPTELÆ REPURGARENTUR, ABUSUS EMENDARENTUR AC TOLERARENTUR, se omnibus illis Protestationibus & Appellationibus superiori Anno in Comitiis Spirensibus factis adhasurum*, sicut *Georgius Cœlestinus* in *hist. Augustanorum Comitior. T. 2. p. 189.* refert.

Syncretismus
non tentatus
in Comitiis
Augustanis.

Protestatio
Electoris Sa-
xonie sub ini-
tium recitatio-
nis A. C.

Cumque nos infra scripti) In his verbis *causa efficiens* mi-

Circa Causam